

3
ALOYSIO ANTONINO FARO

MECOENATI CLARISSIMO

TOTIVS ORDINIS ANTIQVAE OBSERV. REGVL.

B. V. M. DE MONTE CARMELO

SVPREMO PRAESVLI VIGILANTISSIMO

QVO IN VNO

DOCTRINA PIETAS EXEMPLVM CONSOCIANTVR,

SE

ET HAS THEOLOGICAS THESES,


QVAS PVBLICE DEFENDENDAS SUSCIPIIT

D.

P. PETRVS THOMAS GALEA

S. THEOLOGIAE CVRSOR, ET ALVMNVS CONVENTVS

CARMELITARVM CIV. NOTABILIS.



MELITAE,

ANNO MDCCCXXIII.

Quis unquam sapientior Paulo extitit? dic mihi,
nonne vas electionis erat iste? nonne magnam, et
ineffabilem sibi Spiritus gratiam conciliaverat? nonne
Christum in se loquentem habebat? nonne verborum
factus est particeps, et Dei fuerat arcanorum? S. Joan.
Crysot. in libro, qui scandaliz. sunt. c. 1.

Aperitur Disputatio in Templo Annuntiationis
B. VIRGINIS MARIAE Ord. Carmel., Chat. moderante
P. Baccalaur. ANDREA M. TANTI Lectore actuali,
data professoribus e tertio contradicendi copia.

Hora 4 p.m. diei 18. Mensis Julii Anni 1823.

SANCTISSIMAE Religionis Nostrae praecipua inconcussa dogmata, omnia fere in hac celeberrima Apostoli Sententia reserantur : Gratia D. N. J. C., et Charitas Dei, et Communicatio S. Spiritus sit cum omnibus nobis. 2. Corinth. 13. Et sane ex Patribus Crysost. Ambr. Theodoro, et ex Interpretibus Tyr., Cornel. a Lap. Satis liquet per illa tria verba : Gratia, Charitas, Communicatio, augustissimam Trinitatem non modo, sed et oeconomiam Redemptionis, aliaque inde emanantia designari. Non igitur, nisi immerito, arguemur, si ~~theses~~ ex universa Theologia Catholico Dogmaticas, ex tam praeclara, et vere Apostoli charismatibus sapientiae, et scientiae Dei affluentis dignissima sententia, veluti e trunco ramos, quadam methodo, quas defendendas proponimus, theses hauriamus. Cur vero ab Apostolo Gratiae Christi non praemittatur Charitas, cum Augustino hoc fieri dicendum, quia gratia charitatem habitualem praecedat. Tract. de Grat. c. 26.

I.

CHARITAS DEI.

Duplici modo haec consideranda, quam peculiari ratione Patri adscribit Apostolus, uti principium in Divinitate, et in Redemptione, quo circa sophismata his positionibus adversa confutamus, nimirum:

1. Pater ingenitus principium sine principio, et fons totius Divinitatis, in omni aeternitate se ipsum intelligens, Filium generat, et fit ut Pater se ipsum diligat, et Filium; Filiusque non factus, sed genitus se ipsum et Patrem amet; et ita producit amor, in quo Pater Filium, et Filius Patrem amat, et sic amorem spirant aeternum, qui est ipsemet Deus, cum Patre, et Filio, unam, eandemque naturam constituens; de quo suo loco agetur.

2. In Redemptione vero ita se habet charitas; Pater sic mundum dilexit, ut Filium suum unigenitum daret, qui in unica persona fit unus non sufficiens, sed superabundans Redemptor, et causa princeps, et meritoria gratiae.

3. Charitatem porro habitualement, quam desiderat Apostolus, in eo statuimus, ut digni sanctificatione, et justitia per mandatorum observationem, reddamur a Deo dilecti, et qui justii sumus, justificemur adhuc per Christum.

4. Pater enim gratificavit nos in dilecto Filio suo, idest nos amat in illo, per illum, et propter illum, qui gratiae est auctor.

II.

GRATIA D. N. J. C.

Si Pater est, qui nos amat in Filio, Filius est, qui nobis Patris amorem meretur, et gratiam, qua amici Dei constituimur; de hac gratia acturi, quae sequuntur, proponimus;

1. Sensu catholico constare, nonnulla auxilia gratiae esse efficacia, antequam dentur; verumtamen eam non necessitare, nec hominis voluntatem trahere, sed absque liberi arbitrii laesione, voluntas currit, nec uti invita, aut mortua adigitur, seu defertur. Voluntas, ait Baconius Noster, non mere passive, sed vere active vult, atque eligit.

2. Aliqua vero auxilia proprie sufficientia impertiri, quibus potentia expedita, proportionata, et tum ad rei circumstantias, tum ad malum oppositum superandum relativa confertur.

3. Immo cum D. Thoma, ipsoque Baconio gratiam minimam cuilibet concupiscentiae resistere posse tenendum.

4. Non vero gratiae auctor hic culpandus est, si suum haec auxilia non sortiantur effectum; utilia sunt enim Dei mandata, atque possibile; Sed tota ratio habenda in humana pertinacia, et resistentia, in abusione gratiarum, inspirationumque, et in Divinae potestatis, et aequitatis inscrutabili, ac secreto motivo.

5. Nil porro salutare sine gratia praeviente; nil impossibile cum gratiae auxilio; nil autem ex solis viribus naturae habet homo, ut ad gratiam obtinendam sese disponat.

6. Veritates vero aliquas assequi, bonum ex fine etiam bono facere, hominis voluntas valet, numquam autem meritorie, et in ordine ad aeternam salutem.

7. Quod ad aeternam salutem attinet, modis illis a Christo autore gratiae designatis, justitiam vel accipit, vel auget homo, et per legis observantiam condigne, et ex justitia beatitudinem meretur.

8. In viatore item gratia augetur ex ipsius operibus, et per mortalem culpam accedentem amittitur.

9. Non satis hic deploranda illorum praxis, qui perpetua conjunctione, et nexu culparum lethalium, sanctarumque absolutionum sese versantes, cordis vera conversione oblita, gratiam facile acquiri praesumunt, et autumant.

10. Postremo ex Scriptura, et Patribus perseverantiam, cum sit gratia specialis, a quacumque alia distincta, saepissime petendam esse deducitur.

III.

COMMUNICATIO S. SPIRITVS.

Certo constat ex Catholica Doctrina vel active, vel passive hanc considerari debere, et quidem.

1. Active habetur haec communicatio, Pater enim, et Filius amorem spirant aeternum, ut jam indicavimus, ac proinde a Patre, et Filio Amor ipse procedit.

2. Procedit autem a Patre, et Filio, tamquam ab uno simul, non duobus principiis.

3. Et cum hic Amor sit infinitus, ut ipsemet Deus, unam ergo, eandemque naturam constituit.

4. Non igitur est mera virtus, seu attributum aliquod in Divinitate, sed vera persona realis, ac distincta in Divinis subsistens, quae Spiritus Sancti nomen per antonomasiam obtinet.

5. Passive vero consideratur communicatio, ex eo quod Spiritus Sanctus sit vivificans, et vitae anima redditur, ratione participationis donorum, consiliorumque.

6. In hac porro communicatione effunditur quidem, non in persona, sed in donis, ac consiliis.

7. Quamvis tandem omne donum sit a Deo, recte Spiritui Sancto tamquam proprio Motori tribuitur donorum communicatio, quam una cum Gratia D. N. J. C., et Charitate Patris, ut sit cum nobis omnibus cupit Apostolus.